



Qvadripartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

Grodzicki, Stanisław

Ingolstadii, 1609

Concio IV. Charitas. Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit. Quinimo beati qui ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56003)

nos ipsos : tum ad cognitionem nostri, ne in bonis nostris operibus (quæ ad speciem talia sæpe apparent, sed re vera non sunt talia) nimium confidamus; tum ad cognitionem Dei, ut spem omnem in eum proijciamus, illumque feruenter amemus, ac in his perseverantes, usque in finem, eo perueniamus, ubi sine fine viuamus, videntes faciem ad faciem Deum trinum & vnum, cui laus, gloria, & gratiarum actio sit in sæcula sæculorum, Amen.



LAVS
CHRISTI
ET MA-
RIÆ. AC
STATVS
RELIG.
Sic euentu
& figura.
Gen. 8.8.

CONCIO IV. CHARITAS.

Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quadam mulier de turba dixit illi, Beatus venter qui te portauit, & ubera qua suxisti. At ille dixit. Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, Luc. 11.

QUOD olim Noë Patriarchæ verè: hoc nunc mihi quadantenus contigit dilectissimi. Emiserat ipse ex Arca columbam,

bam, illa vero, cum non inuenisset ubi quiesceret pes eius, reuersa est ad eum : emisitque eam iterum, at illa, inquit scriptura, venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo. Simili quadam ratione dum effunderem in meditatione animam meam, cogitaremque quid nam iuxta instituti nostri normam, de charitate & statu religioso, ex isto Euangelij hodierni pelago, depromere possem, inanis & vacua reuersa est ad me contemplatio mea, non inueniens penitus, in quo pes mentis meæ conuiescere posset. Postero autem die, qui erat Virgini Matri sacer, emissa iterum ad meditationem mens mea, hanc quam in capite posui, & in calce Euangelij reperi, retulit sententiam, pulcherrimum sanè & virentibus ornatum folijs oliuæ ramum. Nostis arborem hanc symbolum esse victoriæ, & misericordiæ. Nostis Beatissimam virginem Mariam, matrem misericordiæ nominari & esse. E cuius igitur precibus & ope misericordia hæc & gratia fluxisse creditur, nonne æquum est, ut in eius vicissim honorè, ac gloriam redundet? Id ergo faciamus ne ingrati, quod absit, tanti beneficij experiamur : ita tamen id agamus, ut gratias, quas filius ipsius Christus Iesus ingrato huic populo hodie præstitit, prius præmittamus.

Quare in Concione hodierna, ad laudem matris & filij, Maria & Iesu, primum quidem

PROP.
 Quadri-
 membris

dem scrutabimur, quæ nam Charitatis officia Saluator noster, in factò hodierno, populo illi præstiterit: deinde ultimã illam, quam in themate posuimus Euangelij partem explicabimus; postea eandẽ beatissimẽ Virgini matri Dei, cui ea soli propriè & primario cõpetit applicabimus: ac postremo quomodo illa quoq; cum omnibus; tum vero personis religiosis seruire queat demonstrabimus. Aduuent sermonem nostrum, & quẽ impetrauit, & qui inspirauit, ardentibus etiam pijs vestris pro nobis ad Deum precibus.

*I. MEMB.
signa amo-
ris Iesu. &
vniuersim
ab exemplo
vniuersi.*

Solent parentes, qui nos mundo secundũ carnem genuerunt, etiam si irascantur, arguant, increpent, minentur, imo & verberent, amoris tamen interni ita non obliuisci, vt inter ipsas asperitates indicia eius prodant identidem. Quanto magis parentum omnium ipse parens, Christus Iesus Dominus noster, qui nos secundum animam (imo & secundum corpus, cum resurrectionis corporum ipse quoque sit causa) cœlo genuit, id ipsum, quod naturæ insculpsit humanæ, ipse obseruabit? Fatendum est quidem ea quæ in hoc Euangelio habentur, timoris terrorisq; esse plenissima; imo & mirarũ, quas propter iustum suũ dolorem, ex ingratitude & blasphemijs conceptũ, populo illi intentauit: nihilominus ita hæc agit vniuersa, vt simul etiã amoris & charitatis suæ dei signa euidentissima,

ma, verè mitissimus Iesus, & dulcissimus pater. Ea igitur videamus vt charitatè erga tam munificum & patientem benefactorem in nobis excitare valeamus, & studeamus.

Et primum quidem beneficiũ offert sese, in ipso ingressu Euãgelij, vbi describitur miraculum, imo plura, quæ ingratissimis cõtulit Dominus Iesus, quãdo cæco visum, surdo auditũ, muto sermonem restituit, hominẽ deniq; à dæmone occupatũ, & fortè non solum in corpore, sed etiã in anima possessum, liberauit. Quanta benefactorum congeries, malefactorum compensata? Quis vestrũ ingratissimis hominibus id præstaret? præsertim si sciret eos hac abufuros gratia, quod vtq; Christũ non latuit. Quod si non omnes ingrati fuerunt, fuere tamen aliqui, quorũ impietatem nostra pietate, ingratitude gratitudine, ignominiam Christo allatã, laudib. resarcire, & pro charitate tribuere charitatem studeamus dilectissimi, idq; nõ verbis tantum, sed opere ipso & veritate faciamus, cauendo imprimis ne cũ Phariseis istis mala pro bonis Christo reddamus, quod quã fiat frequẽter ipse nouit. Mihi certè nõ longe ab hoc vitio abesse videntur, qui in tanta & confessariorum, & admonitorũ copiosa, nec dum hoc sacro tempore, culpas suas pœnitẽtia purgarũt. Ecce dimidiata iã instat quadragesima, quod tẽpus confessione non præuenire, pra-

Peculiariter ex Euãgelio.

*PRIMUM
Miracula
præstata.*

*Quomodo
nos ipsi gratiam
erimus.*

culi instar habuêre maiores nostri, eos igitur obsecro, & obtestor imitemini, quo hac ratione per absolutionem sacerdotalem, ex cæcis videntes, ex surdis & mutis recta rectè audientes & loquentes, ex obsessis denique à Sathana, liberi effecti, liberis mentibus & vocibus Christo Iesu quas possumus, & debemus omnes agamus referamusq; gratias.

SECVN.
DVM Pæ.
na cohibita

Alterum beneficium hîc cõsiderare possumus, quod cû homines isti scelestissimi, in eas, quas, dum legeretur Euangelium, audistis scedas blasphemias proruperunt, Christus tamen benignissimus, nihil eis intulerit mali, quamuis & potuisset, & olim propter multo minora id egisset facinora. Nunquid nõ turpior fuit ista blasphemia IN BEELZEBV PRINCIPE DÆMONIORVM ERICIT DÆMONIA, quam vel Dathan & Abiron contra Moysem murmuratio, vel centum militum Eliæ, vt ex monte descenderet denuñciatio?

Num. 16.
30.
6. Reg. 1.

quarum tamen hæc concrematione omnium, igne de cælo lapsio: illa vero hiatu terre ita vt in murmuratores illi descenderent *viui in infernum operti humo*, castigata fuit. Erat sane hodierna longè grauior: tû quod illæ comminationes tantum, hæc blasphemia fuerit; illæ contra famulos, hæc contra filium Dei; illæ ex temeritate quadã, hæc ex malitia processerit. Cur ergo pari, vel etiã maiori pœna, puniti non fuerunt Pharisei isti? Quia *filius hominis non venit animas perdere sed saluare*, vt

Num. 16.
33.

Luc. 9. 56.

respon-

respondet ipse Saluator discipulis suis, in negotio simili. Itaq; vos quoq; cum omni, tū vero hoc in primis tempore, quod ad cōdonandas maximè iniurias institutum est, non vosmetipsos defendentes, (id est vlciscētes) charissimi, nolite, vinci à malo, sed vincite in bono malo, vt vos & Apostolus Paulus, totidem verbis monet, & Christus hoc suo docet exemplo, quem si imitati fueritis, non modo pœnas effugietis, sed & aliquantulam gratiam pro gratia ei reddetis.

Addit porro Christus Dñs, & aliud beneficium. Non solum. n. ingratis benefacit, nō solum blasphemātes non punit, sed etiā obtrectatorib. suis occurrit doctissimis rationibus, ac veritatem illis aperit, si forte eam agnoscere, & ad Deum suum per pœnitentiam redire voluissent, & quis nouit, an aliqui eam non fecerint? Quod si illi non egerunt nos quæso non negligamus. Quis enim enumerabit, vel quis mente assequetur, ipsas rationes, quibus nos ab errore ad veritatem, ab impietate ad pietatem, à negligentia ad profectum spiritualem vult inducere benignissimus Saluator noster Iesus? iam extrinsecus per conciones, cohortationes, beneficia, casulq; varios: iam intrinsecus per remorsus cōsciētig, per illustrationes intellectus, per cōsolationes, aliosq; modos; quos ne quæso surda pertrāseamus aure, sed poti⁹ grati veterum beneficiorū, ad maiora & excellen-

*Doctrina
ne nos sim-
dicemus.*

Rom. 12. 19

*TERTI-
M illu-
stratio in-
tellectus.*

*Idem nobis
facit.*

*A dissimili
fructus gra-
titudinis.*

cellentiora recipienda nos per gratitudinem disponamus. Sicut enim nihil est quod magis exsiccat fontem misericordiae divinae, quam ingratitude: ita nil esse potest quod magis illum aperiatur, quam iugis beneficiorum ipsius recordatio, & usus.

*QVARTVM duo
demonstrat.*

NOTA,

*r. In quo
consistat
regnum
Dei.*

Quartum beneficium, multo adhuc quam priora est praestantius. Non solum enim arguit eos falsi, potentissimis argumentis: sed etiam instruit eos, de adventu Messiae, docetque duo: alterum Messiam iam venisse: alterum qua in re Messiae regnum & potestas consistat, quod nosse res est adeo magni momenti, ut & olim & nunc repudiati à Iudeis Christi, non alia causa fuerit, quam ignoratio, quidnam id regni esse debuerit. Etenim regnum Messiae, quod ipsi Iudaei REGNUM DEI nuncupabant, sicut olim Pharisei in hac ipsa etiam disputatione, ita quoque nunc Iudaei imaginantur futurum per destructionem, & subiugationem multorum regum, & principum sub potestate ipsorum. Istum errorem turpissimum & insulsum confutat hic Saluator noster, demonstrans REGNUM DEI regnumque Messiae, non in re tam vili, quae ab hominibus fieri potest, factaque est & fit quotidie, quando vnus Rex & Monarcha alios suae subijcit potestati: sed in eo situm esse, quod ab omnibus totius mundi Monarchis, simul etiam conglobatis fieri nequit; nepe in debellatione daemonum infernalium:

lium: quorum ne vnum quidem suo impe-
 rio subdere possunt omnes prædicti, imo v-
 niuersi homines viribus propriis, id perfec-
 re nequeunt, quod neque ipsos latuit Iu-
 daeos. Qui quidem cum viderent à Christo *Se esse Mese-*
 Iesu propriis viribus ac potestate nõ vnum *siam.*
 vel alterum dæmonem, sed integras illorum
 legiones verbo vnico eiici è corporibus hu-
 manis, & mitti quo ipse vellet (propterea
rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyssum Luc. 8. 31.
irent, sed in porcos) præterea cum intellige-
 rent, doctrina, miraculis, & vitæ sanctimo-
 nia, quodque caput est remissione peccato-
 rum, destrui imperium eiusdem Sathanae,
 quod habet supra animas impiorum, eui-
 dentissime colligere & poterant & debe-
 bant, & ipsum Iesum esse Messiam, & regnũ
 Dei non in populorum, & hominum imbe-
 cillium, sed in potentissimorum dæmonum
 subiugatione consistere. Hoc probat toto
 suo discursu Christus Dominus, & quasi
 triumphans concludit dicens: PROFE-
 CTO PERVENIT IN VOS REGNUM
 DEI, cui ne iota quidem Pharisei respon-
 dere poterant, prout nec responderunt. Et
 vero isthæc magna sunt beneficia, maius
 autem quod eo tempore saluator noster po-
 pulo Iudaico illa præstiterit, quo ipsi cum
 maxime calumniabantur, denique ad ratio-
 nes potentissimas adiungit etiam attestatio-
 nem

nem quæ in verbo PROPECTO continetur. Quid igitur potuit amplius facere pietissimus pater & summus animarum illarum zelator, quod non fecit? Nihil sane. Quod si vero ingratiissimi illi homines hæc repudiarent uniuersa: nos, inquam dilectissimi, tantorum sumus grati beneficiorum, & primum quidem pro fide quam omnibus nobis qui vere Catholici sumus concessit, gratias, quas possumus maximas agamus habeamusque, deinde ad fidem iugem & feruentem adiungamus charitatem, quam tot Christi beneficia, in re suo à nobis exigunt, postremo ut in utroque tam uidelicet in fide quam in fidei dignis operibus nos conseruare velit Christus Iesus, sine intermissione, noctu diuque diuinam ipsius deprecemur bonitatem.

Nos quomodo gratias eius.

*QVIN-
TVM do-
cet quomo-
do manen-
dum sit in
regno Dei.
1. Gradus
omnium.*

Quintum beneficium licet nobis in illis notare uerbis. QUI NON EST MECUM CONTRA ME EST. ET QUI NON COLLIGIT MECUM DISPERGIT. quibus & Iudæos, & nos docet Iesus, quid fieri oporteat, ut & simus & permaneamus in REGNO DEI, quod nobis Messias attulit, & contulit. Medium enim ad id nullum est efficacius quam esse cum Christo, quæ colligere cum Iesu. Quomodo autem id fiat paulo ante insinuauimus

sumus enim cum eo per fidem, fideique sacramenta, colligimus vero cū ipso per charitatem & opera misericordiae, quibus ut hoc cumprimis tempore operā demus, res ipsa loquitur. Caterum quia de hac re in præcedenti concione egimus copiosius, nunc attigisse satis sit. Eo nihilominus adiūcto, quod huic est propriū: Nempe ut non satis sit nobis qualiscunq; tum habitatio, tum collectio cum Christo, illa videlicet quæ & peccata mortifera excludit, & præcepta diuina sola obseruat: sed ad maiorem gratitudinem declarandam ita coniungamur cū Christo, ut etiam peccata venialia pro virili nostra parte fugiamus: ita colligamus cum illo, ut etiā opera quæ supererogationis dicuntur adiungamus: quod nobis qui in religione sumus eo magis est necessarium, quo consilia in legem nobis nostro bono tranfierunt.

2. Perfectiorum.

3. Religiosorum.

Sextum beneficium & amoris Christi signum clarissimum colligimus ex prophetia illa, de dæmone cum septem aliis domum suam remeante. Quid enim hac siue prædictione, siue comminatione agit aliud, quam paterne monere satagit, tum Iudæos, ut ab imminentibus pœnis & calamitatibus fugiant, tum nos ut relabi in peccata caueamus summopere, ne in tantam miseriam quanta est septem nequissimorum dæmonum premi tyranni-

SEXTUM monet & calamitates fugiamus.

ranni-

rannide incidamus, ne quod absit NOVISSIMA nostra PEIORA sint PRIORIBVS? O admirabilis benevolentia, etiam inimicos periculi, quod incurrere possent, admonere. O vere paternum pectus! Id igitur nos filiali obsecro suscipiamus animo, omnem nostram operam in eo collocantes ne gratiam Dei reiiciamus, ne otio, & fictis virtutibus inimico nostro ad nos redendū occasionem demus, quin potius vigilantia, sinceritate, solidisque virtutibus, in primis vero charitate Dei & proximi, omnem ei aditum præcludamus. Faxit Iesus vt & hæc faciamus, & in iis de die in diem proficiamus.

Quid fiet.

*SEPTI.
MVM Exemplū
pia
mulieris.*

Septimum amoris Christi monumentum est mulier ista, quam Iudæis blasphemantibus, ita opposuit, vt & ipsi confundi, veritatemque agnoscere, ac conuerti ad dominum si voluissent potuerint & nobis lætandi, ac gratias domino Deo agendi, pro eius diuina providentia campum vberimū reliquerit. Multas enim & præclaras nobis per hanc feminam instructiones dedit, quas iam iam videbimus.

*OCTA.
VVM Beati-
tudo.*

Postremo quod tam Iudæos, quam nos, cum per mulierem istam, tum vero per seipsum docuerit Christus, in quo vera beatitudo, dum in hac vita sumus consistat, in magni sane beneficii loco reponendum est.

Sci-

Scimus enim quam id veterib. Philosophis
 scitu fuerit perdifficile. Scimus Diuum Au- *Aug. lib. 19*
 gustinum, Varronem, qui ducentas octua- *de Civ. Dei*
 ginta & octo hac de re recenset antiquorū *cap. 1.*
 opiniones demiratum esse. Scimus deniq;
 & ipsos Iudæos hac in parte turpiter hallu-
 cinatos fuisse. Est igitur quod hoc quoque
 nomine Christo Iesu summas agamus gra-
 tias, qui rem olim adeo difficilem, tam
 expressis docuit verbis, ut neque pueros ne-
 que fœminas lateat amplius. Est cur ei obe-
 diamus & iuxta instructionem ipsius vi-
 uamus.

Quare ut id commodius præstemus, ut- *II. MEM-*
 que promissis nostris satisfaciamus, primū *BRVM.*
 quidem ultimam illam Euangelii partem; *Thema ex-*
 quæ dialogum Christi cum muliere conti- *plicat.*
 net explicabimus: deinde quomodo ea quæ
 ibi dicuntur beatissimæ quidem virgini ma-
 tri Dei primario, nobis vero qui religiosam
 complexi sumus vitam secundario com-
 petant, considerabimus. Itaque cum inquit
 D. Lucas.

FACTVM EST AVTEM, miram Chri- *Mira divi-*
 sti Iesu, & potentiam, & prouidentiam de- *na prou-*
 scribit. Quis enim non demiretur eodem *dentia.*
 omnino tempore, quo scribæ & Pharisei
 Iudæorum doctissimi, Christum signa fa-
 cientem blasphemabant, ac tanquam ma-
 lum repudiabant, mulierem è media plebe,
 adeo

adeo illis in faciem restitisse. vt non solum tunc cum hæc agerentur, sed etiam olim in vtero existentem, tam sanctum, tamque beatum fuisse Christum, profiteretur, vt & matrem suam eiusdemque vbera sanctificaret? Digitus sane Dei fuit iste. **FACTVM EST** igitur.

CVM HÆC DICERET Christus Dominus, ac sapientissimis argumentis insipientiam Phariseorum conuinceret, futuraque prædiceret.

EXTOLLENS VOCEM. Vt ab omnibus audiri posset.

QVÆDAM MULIER Virili plane prædita animo, voceque libera.

DE TURBA Erumpens, ipsa minime turbata, sed spiritu sancto inspirata.

DIXIT ILLI Christo videlicet domino, in laudes ipsius prorumpens & dicens.

BEATVS VENTER QVI TE PORTAVIT. Beatum ventrem, id est matrem ipsius beatam pronunciat, non ex se sed quia **IESVM PORTAVIT.** O sapiens mulier! vultis etiam virum non absimilia dicentem audire? [O scœmina super scœminas, quæ virum non cognouit, & virum in vtero circumdedit] ait Augustinus. Quid ergo mirum scœminam in laudes scœminæ excurre, cum vir & sanctus & doctus idem faciat? Pergit vero illa.

Mira scœmina sapientia.

Augu. ser. 9 de tempore.

ET VBERA QUÆ SVXISTI scilicet beata. Fœmineo id quidem more prima fronte: at re vera non sine mysterio. Hoc enim dicto & præsentis maledicos Iudæos arguit, fatuosque pronunciat, & futuros hæreticos veram Christi carnem negantes, priusquam nascerentur iugulat. Pulchre hac de re Beda differit, nos Christum respondentem audiamus.

*Beda lib. 4
c. 49. su
cam.*

AT ILLE DIXIT QVINIMO. Scandalosum verbum nostris hæreticis, scandalum non dato, sed accepto. Non negantis est QVINIMO. ò boni: (si ita vos appellare licet) sed & dicta præcedentia sequentibus coniungentis, & vtrumque affirmantis. Quomodo enim negaret quod non potuit negari? Num mendacem faciemus Christum, qui negaret, & se esse beatum, & propter se beatam fuisse matrem suam? hæc enim duo fœmina ista affirmauerat. Absit. Mendaces igitur sunt hæretici, mendacium impingentes, & Christo & matri eius: Christo, ut iam dixi: Matri vero eius quæ, dum ista, quæ hæc mulier extollit, agerentur, id est cum in utero suo Maria portaret Iesum, exclamauit. *Ece enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Itane quæ mater affirmat, filius, & talis filius negat? O blasphemia! ò stupiditas! Cui nisi cæco non constat illud, *ex hoc*, in eodẽ quasi instanti expleri cœptum esse. Nõne beatam illam

*Hæretici
scandalosi.*

Blasphemi.

Mendaces.

Luc. 1. 48.

illam vocat Elizabeth, apud quam hæc acta sunt? Idem fecerunt & alii absque dubio, idem hæc mulier in Euangelio, idem nos cum tota Ecclesia agimus. Quam miseri qui ab hac prophetia virginis matris extorres reperiuntur, eiusmodi sunt heretici, proprio iudicio condemnati, Christo & matri eius execrabiles. Denique, nonne vocula QVINIMO etiam apud prophanos auctores & ipsum Ciceronem respondet particula QVINETIAM, quæ utique affirmantis est? Ac inquit, saltem dicente Christo: QVINIMO.

Extortes.

Ignorantes

Superbi.

BEATI QVI AVDIVNT VERBUM DEI, magis beati censebuntur, qui id faciunt, quam mater Christi. Atqui tales sumus nos (aiunt) qui purum putum VERBUM DEI audimus. O impudentia à sæculo inaudita, vos beatiore Maria? Vos purius VERBUM DEI quam ipsa auditis? Quid vero sequitur?

ET CVSTODIVNT ILLVD inquit Christus. Vos melius custoditis illud quam Virgo? qui ne custoditis quidem, quorsum enim custodia verbi Dei, si sola fides iustificat, ut vos dicitis? Sed contrarium hic ex ore Christi auditis. Ad quantam, pro dolor, insaniam superbia vestra vos adiegit?

Inspicientes.

III. MEM.

Audite ergo in quo beatitudo nostra, dum

dum hic sumus consistat, & quantopere in
 ea Virgo mater excelluerit. Utinam vero ita
 audiatis, ut & superbiam deponere, & pro
 blasphemiis Christo & matri eius laudes
 reddere in Ecclesia Catholica (extra quam
 laus quæ illis grata sit non reperitur unquam)
 aliquando tandem velitis. Itaque sciendum
 est breuem hunc dialogismum, perfectissimam,
 quæ à puro homine in hac vita haberi
 potest, beatitudinem, ob oculos nobis po-
 nere. Et vero sicut homo ex anima, & cor-
 pore tanquam ex partibus essentialibus cõ-
 stat: ita si in utroque beatificabitur, perfecta
 huius vitæ perfruetur felicitate. Hac vero
 prædita fuit virgo mater, soli secunda Chri-
 sto, Vnde hoc habes inquis? Ex hoc Euan-
 gelio. Beatitudinem enim perfectissimam
 corporis describunt nobis verba mulieris
 huius, beatitudinẽ vero animæ verba Chri-
 sti Iesu filii sui. Quæris forte utra sit harum
 beatitudinum excellentior? Dixerim salua
 fide & meliori iudicio, si eæ inter se confe-
 rantur præstantiorem esse, quam docuit
 Christus: tum quod ad animam quæ pars
 hominis est præcipua spectet: tum quod il-
 la quidem sine hac nulla sit: hæc vero
 Christi sine illa mulieris vere beatos red-
 dat qui eam habent. Propterea sancti
 Patres magis extollunt virginem matrem
 ex eo, quod Christum conceperit mente
 e quam

BRVM
Quam bea
ta V. Ma-
ria.

N O T A,

Perfecta
beatitudi-
nis vite hu-
ius partes
dna.

Excellentior
anima.

1.

2.

*Excellentis-
sima & tra-
que, Talis
B.V. qua*

quam quod conceperit ventre. Quomodo
verò vtrumque præstiterit, ideoque omniū
hominum beatissima fuerit, iam considere-
mus, ab excellentiori parte, & ea quam nos
Christus dominus docuit, ducto exor-
dio.

*PRIMO
audiuit Ser-
bum Dei
per 4. gra-
dus.*

BEATI QUI AVDIUNT VERBUM
DEI, ait Saluator. Fecit istud mater eius
perfectissime, proinde non beata modo,
sed & beatissima fuit. Probemus id per
quatuor quos considerare possumus audi-
tionis verbi Dei gradus. Primus fit auribus
corporis, qui quamvis fit infimus, & possit
esse sine fructu, imo cum detrimento, quan-
do auditum verbum vel repudiatur, vt fa-
ctum est à pharisæis, vel pravis expositi-
onibus peruertitur, vt fit ab hæreticis: est ta-
men fundamentum aliorum teste Paulo

Ro. 10. 14.

cum inquit; *quomodo credent ei quem non
audierunt? quomodo autem audient sine præ-
dicante? & si rite fiat addit aliquid ad bea-
titudinem teste Christo cum ad Aposto-
los inquit. Beati oculi qui vident quæ vos vi-
detis. Dico enim vobis quod multi prophe-
ta & Reges voluerunt videre quæ vos videtis,
& non viderunt, & audire quæ auditis &
non audierunt. Qua in parte quis hac virgi-
gine felicior, quæ triginta annis V E R B U M
DEI ex ore verbi Dei, eiusdemque filii sui
audiuit? Quis vero nobis enarrabit, quid
aus*

Luc. 10. 14.

Luc. 2. 47.

audierit? Si talia erant verba duodennis
 pueri, ut in stuporem adducerent doctores,
 qualia putatis fuisse, quæ locutus est post-
 modum, per octodecim annos, quibus erat
subditus illis. id est Iosepho & Mariæ, vsque *Ib. vers. 51*
 ad trigésimum ætatis suæ annum, quo tem-
 pore cœpit publice prædicare? Neminem
 equidem puto futurum tam impudentem,
 qui hanc beatitudinem præ omnibus aliis
 audeat virgini negare.

Secundus gradus est auribus audito ver- *2. Assensus*
 bo assensum præbere per fidem. Hunc ha- *fides.*
 buit Maria, & ante communem usum ra-
 tionis, quando triennis in templo præsen-
 tabatur, ut fertur, & antequam Christum
 conciperet, ut testatur scriptura, quam hæ-
 retici negare non possunt, quando videlicet
 verbis angeli, legatione Dei fungentis, & as-
 ferentis illam salva virginitate filium cœce-
 pturam, fidem, assensum, & submissum præ-
 buit affectum dicens. *Ecce ancilla Domini fiat* *Luc. 1. 38*
mibi secundum verbum tuum. Quid vnquam
 hoc actu fidei legitur perfectius? Proponi-
 tur verbū Dei creditu difficile, ut pote quod
 nullum vnquam, ab ipso mundi exordio ex-
 emplum simile habuit; auditur tamen à vir-
 gine, creditur, suscipitur, perficitur. Idemq;
 illam omnib. verbis, quæ de ore filii sui pro-
 cedebant, fecisse, quis nisi obstinatissimus
 & impudentissimus dubitauerit?

3. *Conserua*
*tione.*4. *Contem-*
*platione.**In tenera*
*etate.**Quid in a-*
dulta.

Tertius adhuc excellentior gradus est, cū quis non audit modo auribus, & credit intellectu, sed etiam cōseruat in memoria: cui quartum meo iudicio præstantissimū adiungemus; nempe non solum cōseruare, sed et conferre in corde, & meditari VERBUM DEI, quorum vtrumque præstitisse hanc Virginem testatur Lucas cum inquit *Maria autem cōseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Quid tale de quoquā in scriptura, cui soli (scilicet) innituntur hæretici, lectum audiuius vnquā? Nihil equidē. De quo aut verbo Dei, hæc ab Euangelista dicuntur? De illo videlicet quod ab Angelo, quod ab Elizabetha, quod à pastorib. quod ab aliis Maria tunc audierat. Quod si vero Maria Virgo, in tenera sua etate qua necdum decimumquintum annū excessisse creditur, tale de auditione verbi Dei encomium habuit, quale putatis habuisset, si illud Euangelistæ (quorū institutū fuit, non matris sed filii vitā cōscribere) dare voluissent postmodū, quando VERBUM DEI ex ore filii Dei, vsq; ad quinquagesimum pene etatis suæ annum audiebat? quando ex ore docentis, exhortantis, cōcionantis filii sui pendeat? quando fugientib. Apostolis ipsa filio suo in cruce suspenso assistebat, & septē illa miranda verba, ex ore eius aurib. hauriebat, memoria cōseruabat, mente cōferebat, ac deniq; meditabatur, & in corde suo contemplantur. *Ofcēmina sapientif-*

pietissima & fortissima, quā tāti terrores à contēplatione verbi diuini non absterruerunt. O virgo mater Dei sanctissima, quas tibi laudes offeremus, tā turpis infamiæ loco, quā fratres nostri eodē nobiscū fōte baptismatis abluti, tibi impingūt nequissime? Accipe quas damus exiles, & intercede pro nobis, & illis, vt & nos in laudib. tuis in dies proficiamus: & illi desinant non tibi, sed sibi potius male dicendo in commodare. Sed iā ad alterā huius primæ beatitudinis partē transcamus: quam Christus illis expressit verbis.

*Laudes
B.V.*

ET CUSTODIUNT ILLUD. Beatos asserens eos, qui non solum audiunt verbum Dei, sed et secundum illud viuunt. Qua in parte quis hac virgine purior, exactior, feruentior? Libet hic quoq; totidem, quot in priori gradus constituere. Quorum primus est, ita custodire verbum & præcepta Dei, vt non pecces contra illa peccato lethali: talis fuit in veteri testamento Ieremias, talis in nouo Ioannes Baptista, & innumeri alii omni tempore in Ecclesia esse creduntur, qui quod in baptismo promiserunt, vsq; ad decrepitam ætatē, & ipsum vitæ exitū seruant. Talis Beatissima virgo Maria, imo plusquā talis; quia conscendit secundū gradū qui est ita custodire VERBUM DEI, vt ne venialiter quidem pecces toto vitæ tuæ tempore. Id an aliquis hominū vsum habēs rationi affecutus fuerit, incertum est: Mariam post Iesum eiusmodi fuisse

SECUNDO Custodiunt illud per totidem gradus.

1. Non peccando mortaliter.

2. Non venialiter.

*Obiect. sol-
uitur*
NOTA.

certissimum. At nihil est hac de re in scri-
ptura instat hæreticus. Est sane: Sed non sit,
quid inde? Certe neque in scriptura est te
esse Christianum, cur ergo te talem esse pro-
fiteris? Quia inquis deducitur id ex scriptu-
ra. Quam vere non disputo, id affirmo lon-
ge clarioribus argumentis ex scriptura de-
monstrari Mariam Virginem tam exacte
custodiuisse mandata Dei, vt omni, etiam
ventali, caruerit peccato, quam te esse Chri-
stianum. quod si id non credunt infideles,
quid refert, satis est quod credunt fideles.
Vterq; enim suo respondent nomini.

*3. Seruan-
do consilia.*

Tertius custodiendi verbum Dei gradus
est, non præcepta tantū sed & consilia Chri-
sti Iesu sectari, vouere, & seruare. In his pri-
ma & dignitate & tempore Virgo Maria.
Vouisse enim illam virginitatem, quæ pri-
maria est consiliorum Christi materies, de-
ducunt sancti Patres ex illo ipsius Virginis
dicto ad Angelum. *Quomodo fiet istud quo-
niam virum non cognosco?* & ita deducunt, vt
aut in sulfus aut impudēs esse debeat, qui id
neget. In sulfus si tam euidentem consequē-
tiam non videat. Quomodo n. virgo prudē-
tissima dicere potuisset, se non cognoscere
virū, si eum potuisset cognoscere? Ita ne fuit
inconsiderata, vt nō animaduerteret ange-
lum statim ei dicturum, se ideo id illi nūcia-
re, vt sicut olim Sara, aut vxor Manue, aut a-
liæ

*Votum Vir-
ginitatis
clarum.*
NOTA.
Luc. 1. 34.

*Gen. 18. 10.
Iud. 13. 3.*

lia steriles, ita ipsa cognosceret virū? quorsū
 ergo cogitabat qualis esset ista saluatio, si illud
 quod diximus, angelū videlicet potuisse illi
 responderē, excogitare non valuit? Non va-
 luit, quia sciuit Angelum, qui omnīū secre-
 torū eius erat conscius, id illi dicere non po-
 tuisse, quam nouerat ideo vouisse virginita-
 tem, ne virum cognoscere posset. Id inquā
 si hæretici non capiunt, insipientes: si vero
 capiunt, & tñ veritatem agnitam oppugnāt,
 impudentes sunt. Quod si dixerint consiliū
 Christi hac de re nondum fuisse, dicam & e-
 gotanto maiorem laudem mereri hanc vir-
 ginem, quæ antequam consilia fierent, iam
 ea custodiuit. Quid si vt multa alia, ita hoc
 quoq; non latuit Mariam, Christū id in con-
 silis posturum? Vnde probant hæretici il-
 lam hac de re reuelationem non habuisse?

Luc. 1. 29.

Quartus custodiendi verbū Dei gradus
 est, efficere vt alii quoq; VERBUM DEI custo-
 diant. Fecit id virgo. Fecit sane per quam ex-
 cellenter, tum verbo tum exemplo suadēdo.
 Non credant id illi de quib. Paulus. *Eo quod*
charitatem veritatis non receperunt, vt salui fie-
rent: Ideo mittet illis Deus operationem erroris,
vt credant mendacio. Credant, prout credunt
 omnes charitatē & veritatē amantes. Euici-
 mus itaq; nō vno vel altero, sed octo omni-
 no modis virginem matrem, id in quo filius
 suus & dominus noster Iesus Christus beati-
 tudini

*4. Aliis
 suadendo.*

*2. Thef. 2.
 10.*

tudinem huius vitæ collocavit, præstantissime præ omnibus habuisse: iam ad alterâ beatitudinis partem, quæ à muliere spiritus sancti afflatu profertur accedamus.

TERTIO
Verbum in
corpore suo
B.V.

BEATVS VENTER QVI TE PORTAVIT. ait illa: Nos vero hic quoque quatuor puncta contemplabimur. Beata est virgo Maria, quia concepit, quia in utero gestavit, quia peperit, quia lactavit: duo expresse hic ponuntur, alia vero duo necessario subintelliguntur, neque enim portasset in ventre, nisi concepisset, neque lactasset, nisi peperisset. Cæterum in his omnibus ut dictum est, corporis præcipue demonstratur beatitudo, idque Primario; nã neque hic animæ beatitudo defuit, quia quicquid hac in parte actum est, ipsa consentiente, ac proinde multum merente perfectum est. Beatitudo tamen corporis virginis in eo consistit. Primo quidem quia concepit VERBUM DEI increatum, eique purissimum sanguinem suum subministravit, ut impleretur quod dilectus Christo inquit Evangelista, *Verbum caro factum est*, inde enim corpusculum illud sanctissimum formatum, & verbo unitum fuit. Quod vero subdit Ioannes *Et habitavit in nobis*: id imprimis pertinet ad ventrem virginis, quem mulier ista hoc nomine beatum prædicat. Vere terque quaterque beatum virginis corpus, tali donatum hospite, vere beatum *tabernaculum quod totum sancti-*

1. *Concepit.*

Ioan. 1. 14.

2. *Portavit.*

Psal. 45. 5.

*sanctificauit altissimus, vt prædixit Dauid, fili-
lius vero ipsius sic; venter tuus sicut aceruus* *Cant. 7. 2.*
tritici, vallatus lilijs perbelle inquit, & aptè.
Tum temporis enim venter Mariæ fuit; *Ioan. 6. 33.*
sicut aceruus tritici, continens panem illum, qui de caelo descendit, & dat vitam mundo: fuit
vero vallatus non vno sed duobus lilijs, du-
plici videlicet corporis & animæ virginita-
te, quæ tamen nihil obfuit fecunditati. Po-
steaquam enim triticum, seu panem hunc
nouem mensibus portauit virgo castissima
in vtero, mater facta est, & peperit nobis Sal- *3. Peperit.*
uatorem, id ipsum verbum carnem factum,
impletumque est, quod hîc mulier subdit.

ET VBERA QUÆ SVXISTI bea- *4. Lactauit*
ta. De quibus ibidem subnectit sapiens di-
cens, *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capree: Cant. 7. 3.*
quorum & antea meminerat, iisque etiam *Cant. 4. 5.*
lilia adiunxerat, Quare? Quia vbera illa
erant castissima, quia odorifera, quia inta-
cta, quia tenera, ex quibus hinnulus hic
sanctissimus pendebat, quando illa quod
hæc mulier dicit SVGEBAT. Hæc est sub- *Conclusio*
limis & deuota piorum meditatio, contra *de B.V.*
stultam & impiam hæreticorum procacita-
tem & impudentiam, qui & se ipsos & suas
mulierculas (ne quid grauius, iusto com-
motus dolore dicam) audent huic Virgini
comparare. Proh dolor, proh pudor, &
gentis Christianæ & nationis Germanæ. At

de laudibus virginis Matris, quam nulla vnquam lingua dignè satis laudare valet, hoc loco pro tenuitate & frigiditate nostra dictū sit satis. Satis enim vt reor demonstratum est, sanctissimam Deiparam præ omnibus Beatissimam fuisse: vtpote cui totum hoc, in quo viæ beatitudo consistit, ita competat, vt & quod Christus docet, eminenter supra omnem puram creaturam in se contineret, & quæ mulier asseuerat, sola possideret. In illo sectatores habere potest, in hoc imitabilis esse nō potest, nisi metaphoricè, & spiritualiter, quod ab ijs fit præcipuè, qui religiosam complexi vitam non præcepta modo, sed & consilia Christi Domini adimplere conantur. De his igitur iam iuxta promissum agamus, paucis quæ omnibus Christianis conueniunt præmissis.

Transitio.

IV. MEM. Quemadmodum Christus Iesus Dominus noster, cum aliàs tum vero Petro ipsius laudes canenti se gratiam rependit, vt petre nomen, quod sibi proprium erat, & verbo, & re ipsa illi communicarit; ita omnino cum hac scemina se gessisse videtur. Et merito sane. Decuit enim illum qui scdum ingratitude vitium exosum valde habuit, gratitudinem nobis modis omnibus commendare. Itaque vtrumque in hodierno præstat Euangelio, Pharisæos quidem

Mat. 16. 17.
De nostris
Et maxime
religiosorum
beatitudine.
Iesus gratitudinem
docet.

dem ingrati-
tudin-
is arguens, minasque illis
intentans, erga mulierem vero gratitudi-
nem suam pulchrè demonstrans. Lauda-
uerat illa cum vterum qui Christum tulerat,
& vbera quæ suxerat: tum vero ipsum Ie-
sum, qui vtrumque sanctificauerat. Quid
Iesus? Et vocula, **QVINIMO**, dicta appro-
bat, & docet vicissim quomodo tam ipsa
quæ hæc loquebatur, quam alij beatitudi-
nis istius participes esse queant. Si enim
quemadmodum Maria virgo Angeli dicta
excipiens, ijsque assensum præbens, **VER-
BVM** æternum, carnem in utero suo factum
portauit, illudque in lucem editum, vberi-
bus suis lactauit, ideoque beata fuit; si in-
quam nos quoque ita **VERBVM** Euangelij
audiuerimus, fidemque ei adhibendo men-
te illud conceperimus, & ore confitendo in
lucem ediderimus, ac iuxta verbum Dei vi-
uendo nutriuerimus, procul dubio beati-
erimus. Id vero quia hanc mulierem fecisse
nemo pius ex ipsius verbis id colligens du-
bitauerit, clarè etiam videre quiuis poterit,
quomodo Christus vices ei reddiderit, bea-
tam illam tacito licet nomine vocando. Hæc
igitur beatitudo singulis sit commendata,
quia sicut omnibus conuenit, ita ad il-
lam procurandam Christiani obligantur v-
niuersi.

Porro qui se amore Christi, & consilio-

rum

*Omnium
beatitudo
qua
Exemplo B.V.*

*Iesu & scem
reddidit mu-
lieri.*

BEATI
TVDO
RELIGIO
SORVM
complet.
Tunc in
gratitudi-
ne Vocatio
nis.

Tum in
profectu
spirituali.

Religiosi
bis nati.

Gal. 4. 19.

rum eius explendorum causa, in monaste-
ria, collegia, vel alia loca religiosa, tam viro-
rum quam feminarum abdiderunt, amplius
aliquid hinc considerare debent. peculiari e-
nim ratione iste dialogus eis competit. Cu-
ius ut diximus resque loquitur ipsa duæ sunt
partes: quarum prior, quæ verba mulieris
continet, docet, quidnam nobis Christus
Dominus beneficij contulerit, quando nos
ad religionem vocavit: posterior vero ver-
bis Christi constans, instruit, quomodo nos
in ea gerere debeamus: illa gratitudinem
pro gratia vocationis à nobis exigit; hæc
profectum in cepto itinere & spiritu postu-
lat. Ut igitur hæc assequamur, dicat vnus-
quisque in corde suo.

BEATVS VENTER QVI TE PORTAVIT.
Verè beata quæuis religio approbata; verè
BEATVS VENTER QVI NOS IN EA PORTA-
VIT, persimilis illi qui dicebat, *Filioli mei quos
iterum parturio donec formetur Christus in vo-
bis.* Quamuis enim hæc omnibus Christia-
nis scribantur, ideoque cunctos afficiant (si-
cut & alia quæ dicturi sumus, quæ etiam suo
modo vniuersis applicari poterunt. Omnes
enim & grati esse vocationi & proficere in
spiritu debent) tamen nobis, nobis inquam
religiosis hæc præcipua quadrant ratione.
Nos enim peculiariter bis in spiritu nati,
proindeque iterum progeniti sumus. Prima
quidem

quidem vice in baptismo in Christo renati, quod nobis cum omnibus Christianis commune est: secundo vero quando religionem complexi sumus, quod alterum est quodam modo baptisma (quodammodo inquam, quia sunt inter hæc differentia: alias pertractanda, sicut etiam ista iterata D. Pauli parturitio, longe à priori diuersa fuit) & à sanctis ut nostis quædam etiam regeneratio nuncupatur. Non solum autem venter beatus: sed

ET VBERA QUÆ SVXISTI, quæ videlicet vnusquisque nostrum suxit beata. Quæ vero sunt inquis VBERA ista? Aio, posse nos non vbera tantum, sed omnino illa quatuor quæ de B. V. dicta sunt in nobis quoque considerare: alia tamē ratione. De illa enim actiue, de nobis vero passiuè sunt intelligenda. Maria enim virgo concepit & portauit Christum in utero, dedit in lucem ex utero, & lactauit extra uterum: nos vero concipimur, gestamus, nascimur, & nutrimur à Christo in religione. Concipimur per vocationem, modis penè innumeris, formamur & gestamur per varia cum corporalia, tum spiritualia exercitia, præsertim in nouitiatu, nascimur, cum Christo vota religiosa nuncupamus; ac denique nutrimur, lacte quidem in principio, quam diu suppetunt consolationes diuinæ ac primitiue spiritus; postmodum vero solidarum virtutum solido pacimur cibo, donec formetur

*Habent illa
quatuor
quæ B. V.
aliter ta-
men.*

*Memnisse
eorum et
gratias
debent.*

Christus Gal. 4. 19.

*Fruſtus
iude.*

Christus in nobis. Quanta beneficiorum copia! quanta & qualis meditandi seges? tum vniuersim, tum singillatim, pro vniuscuiusque vocatione & nutritione spiritali? Hæc ego piis vestris mentibus contemplanda relinquo, sicut & illas omnino mirabiles metamorphoseos, nempe, quomodo & nos formamur in Christo, vt diximus, & Christus formatur in nobis, vt ait Apostolus, & (addam securè tertium) quomodo per nos Christus formatur in alijs. Non capiunt hæc sapientes huius sæculi: at capiunt simplices & veri religiosi, quiq; noctu, atque interdiu, pro tam excellenti gratia Deo suo, & Christo Iesu gratias agere nunquam cessant. Facite id obsecro fratres mei facite, certo vobis persuadetes, omnes quotquot fiunt errores in religiosis, atque adeo ipsas apostasias, ex defectu huius gratitudinis procedere: è contrario vero quamdiu quis verè & syncerè gratus memorq; est vocationis, formationis, natiuitatis, nutritionisque suæ in religione, eum & retrocedere ab ea, & non procedere in ea non posse: dummodo seruet, quæ in altera huius dialogi parte nos docet Christus. Cuius primum verbum est.

*Sed coniū-
genda se-
quentia.*

QVINTIMO. Exiguum quidem literis, at magnum sensu, ideo minimè silentio prætereundum, sicut enim illo Christus Dominus coniungit dicta dicendis: ita nos docet, tunc nobis profutura præcedentia, cum expleuerimus

rimus

rimus sequētia, tunc enim erimus verè grati pro vocatione nostra, cum ea quæ illa nos docet exequemur. Subdit itaq; Christus.

BEATI QUI AUDIUNT VERBUM DEI. *PRIMUM*
 Quadruplicē auditionem verbi Dei cōtem- *audientiā*
 plati sumus in B. V. Maria, eam nos pro mo- *verbum Dei*
 dulo nostro imitari studebimus. Primo au- *quadrupl.*
 diendo illud auribus & libenter, & diligēter. *1. Auribus*
 O utinam id faciamus; nec in Concionibus *libenter.*
 & exhortationibus modo, sed etiā in mensa, *Etiā in vac-*
 & in recreationibus. O quā id vile. Vix dici *caecatione,*
 potest. Perstringamus aliquot emolumēto- *unde sex q.*
 rum capita sane eximia. Hac enim ratione *illustratione*
 verba otiosa, pro quibus reddenda est ratio *capita.*
 Deo cuitabuntur, proximus ædificabitur, *NOTA.*
 lingua ad loquenda bona ac proficua assue- *Mat. 12. 36*
 scet, curiositas inutilis, imo frequēter noci-
 ua fugabitur, frater instructur, spiritus refo-
 cillabitur. Memini quosdam dicere, se non-
 nunquam maiori cum gustu ac utilitate spi-
 rituali è recreatione, quam ex ipsa oratione
 discessisse. Utinam vero sæpe id eueniat.

Secundo non audiendō tantum, sed & af- *2. Assensu,*
 sensum præbēdo dictis superiorum. Sic fecit *cccc.*
 B. V. Maria ut vidimus. Sic oēs verè religiosi,
 non solum voluntatem, sed etiam intellectū
 suū præceptis maiorū suorū submittere con-
 sueverunt. Quis lucra spiritualia huius gra-
 dus audiendi verbum Dei recensere poterit?

Tertius est, auditioni & assensui conser- *3. Diligentia*
 uationem adiungere, ne videlicet eueniat, *custodia.*
 quod

quod vulgo de quibusdam dicitur, eos vna quidem aure percipere, alia vero emitte verbū Dei. Id enim vitiosum est valde, cum in omnibus, tum in personis spiritualibus.

4. Ingi collatione cū modis & a. ris.

Postremo cum B. Virgite, conseruationi collationē verbi Dei in corde nostro adnectemus. Hanc ad rem in singulis religiosorū familijs varia sunt media, & ne elabatur, remedia singularia, nempe meditatio & contemplatio verbi Dei, oratio quoq; & cantus in Ecclesia, ac alia quæ vna quæq; iuxta instituti sui rationē sanctè obseruat. Tu vero adde etiam alia, vt verificetur de te quod Ap

1. Theff. 5. Tum iaculatoriū orationibus, A simili.

postolus Paulus requirit dicens. *Sine intermissione orate.* Id vero cum alijs vijs, tum vero orationibus quas vocamus iaculatorias perficitur, per quas oleū & ligna identidem iniiciuntur menti nostræ, ne ignis iste, iugis sacrificij in ea exstinguatur. Ad eandem collationem verbi Dei in corde nostro pertinet

Et particulari examine.

examē: cum commune illud & quotidianū: tum vero quod particulare nuncupatur, in quo collationis, vt nosti præcipua est mētio.

Psal. 76. 7.

Sed nō verbi Dei inquis, verum aut peccatorum, aut defectuum nostrorū fit tibi comparatio. Imo vero verbi Dei, quia hoc ipsum nos docet verbum Dei. Istæ enim sunt scope illæ, de quibus Dauid. *Et meditatus sum nocte cū corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meū.* Hæc est illa probatio, de qua Ap

stolus:

stolus. *Opus autē suum probet vnusquisq;*. Pro- Gal. 6. 4
 batio enim ea videtur excellentissima, qua
 opus operi conferimus, vt videamus vtrum
 per argumentum virtutum proficiamus, an
 vero per vitia deficiamus. Hæc de auditione
 verbi Dei, & quæ eius occasione occurrebāt
 (quæ tamen omnia eo referuntur) dicta suf-
 ficiant. Verum quia id satis non est, idcirco
 subiungit Christus.

ET CUSTODIUNT, Hic finis primarius, *SECUN-*
 hoc & in intēctione, & in executione primū *DO custo-*
 esse debet. *Non enim auditores legis, iusti sunt* *diendum*
apud Deū; sed factores legis iustificabuntur, di- *eadem.*
cit Spiritus sanctus omnibus, quanto magis *Rom. 2. 13.*
 personis religiosis, quibus etiam ea quæ in
 consiliis fuere in legē transiuerē? Custodire *Omnimō-*
 autem (quod & verbum Græcum hīc positū *do.*
 indicat) est mente, sermone, & opere ipso
 VERBUM DEI explere. Atq; adeo illis quatu-
 or modis, quos in virgine matre notauimus,
 non quidem ea qua illa perfectione, sedula
 tamen & constanti imitatione. At vero
 quod verbum custodiemus?

ILLVD inquit Iesus, ILLVD omnino, quod *Omne Ver-*
 insculptū naturæ, quod præceptū omnibus. *bum Dei.*
 ILLVD etiam, quod consultum à Christo, *NOTA.*
 quod in perfectione positū. ILLVD insuper
 quod bullis Pōtificum firmatum, quod cō-
 stitutionibus, canonibus, ordinationibus
 cāutum. ILLVD deniq; quod à quouis supe-
 riore nobis demandatum fuerit. Ista enim
 f omnia

1. *Præcepta
seruando.*

2. *Peccata
Venialia
cauendo.*

3. *Vota red-
dendo,
Iuxta Psal.
Psal. 75. 12*

*Rom. 13. 1.
Exceptio cū
caussa.*

4. *Proximū
iuuando.*

omnia denotat nobis illud Christi ILLVD. Itaq; primū præcepta diuina nobis seruanda sunt, exactius etiam quam communiter custodiuntur. Proinde danda opera, vt nō mortalia modo; sed etiā venialia peccata caueamus, in primis vero & valde serio, illa quæ nō tam nobis obrepūt; quam ex deliberatione proficiscuntur. Consilia præterea Christi Iesu sunt à nobis custodienda: quia vt dictum est, in præcepta nobis conuersa sunt. Rectè enim necessario sancti Patres illud Psalmi: *Vouete & reddite Domino Deo vestro*, sic interpretantur, vt primū sit consilij, alterum præcepti. Sicut ergo vouere in potestate nostra est positū: ita si vouimus reddere quod promissimus diuini mādati necessitatem habet. Id igitur agamus dilectissimi, quilibet secundum instituti sui rationem, non modo quæ præscripta, sed etiam quæ à superioribus sunt nobis demandata, promptè & alacriter exequentes [dūmodo contraria Deo non præcipiat homo] In talibus enim homo præcipiendi non habet potestatem. *Non est enim potestas nisi à Deo*, teste Apostolo, Deus autē nemini dedit potestatem quicquam præcipiendi quod ipsi esset contrarium. Postremo custodiendū est VERBUM DELDANDO operam vt etiam alij ILLVD custodiant. Id enim multorum religiosorū postulat institutum, eorum videlicet, qui finem sibi præfixerunt [non solum saluti & perfectioni pro-

ni propriarum animarum cum diuina gratia vacare: sed cum eadem impensè in salutè & perfectionem proximorum incumbere] quorū & magnus & utilis sane est numerus, & familiæ non pauca. Quare qui eiusmodi sunt, illa cum primis præ oculis habebunt (quilibet iuxta status & officij sui rationem) quorum bonam partem expressit D. Paulus; Nempe, vt qui *præest*, in sollicitudine id faciat, peccata quidem prohibèdo, impediendo, castigando; virtutes vero imperando, promouendo, præmiando: qui subest in obedientia & submissione volūtatis & intellectus, qui *ministerium* habet in vigilantia & affabilitate, qui *docet* in diligentia & patientia, qui *ministerium* habet in vigilantia & affabilitate, qui *docet* in diligentia & patientia, qui *exhortatur* & concionatur, in charitate & vitæ bono exemplo, qui *tribuit*, in simplicitate, non qua sua sunt, sed qua sunt Iesu Christi, quærendo, cum in temporalibus, tum vero in spiritualibus; qui *miseretur* in hilaritate liberaliter eleemosynas cui interest dando, alacriter confessiones etiam permolestas audiendo, rudes instruendo, aegrotos, & incarceratos visitando, opemq; illis pro instituti sui ratione ferendo, moribundis assistendo. Et in his alijsq; generis eiusdem vniuersis, tum otium religiosorum pestem, tum inanem gloriam, bonorum operum & meritorum tinea, apprimè fugiendo. Hæc enim operando, &

Variè præ officij ratione ex Paulo.
NOTA.
Rom. 12. 7.

Psal. 2. 21.

Virgini Matri, & summæ illi omnium virtutum regulæ, Christo Iesu, quantum in nobis est conformabimur.

*Medis ad
hac ex in-
numeris.*

Timor, &

Mat. 12. 44

Quæ vero ad huiusmodi exercitationes suscipiendas, promouendas, & augendas in nobis, sunt media? Multa profecto. Nos paucis & cõsuetis finiamus, nempe cum TIMORE: tum vero AMORE, qui huic Concioni est proprius, quamuis illinc etiam iuuari debeamus. Timoris medium vnum accipe, considerationem videlicet dæmonis illius, qui in domum suam, vnde expulsus fuerat, *vacantem*, otioq; torpentem (audis) leuibus quoque, & ex vñ potius, quam è corde petitis SCOPIS MVNDATAM, ET falsis ORNATAM virtutibus, cum SEPTEM (imo nonnunquam cum septuaginta septem) dæmonibus NEQVIORIBVS SE, reuertitur, & de nouo ita eam occupat, vt teste veritate fiant NOVISSIMA HOMINIS ILLIVS PEIORA PRIORIBVS, multo enim peiora patrant, quam olim etiam in sæculo patrarunt scelera. Ista inquam perpende & perhorresce. Exemplorũ & Dictorum sanctorum Patrum, & ipsius Scripturæ, ad hanc rem pertinentium, infinitus est numerus. Duo euẽta, & vnum verbum sufficiat. Euenta sunt, antiquum Sergij, recens Lutheri, quorum vterque religiosus cum esset, post Apostasiam, ille Mahometanæ, quæ pestis est Oriẽtis, hic innumerabilium sectarum, quæ totum vastant Occidentem

cidentem & Septentrionem author fuit. Dicitur autem sit magni Patris Augustini, qui *Aug. ep. 137* disertis testatur verbis nullos se vidisse meliores, quam qui in monasteriis perseverant, nullos peiores quam qui inde defecerunt. Timoris satis.

Amorem vero & charitatem in nobis excitare poterunt, omnia quę in Concione dicta sunt. Et in prima quidē eius parte, octo beneficiorū Christi capita habuimus: quorum pleraque multo excellentius nobis, quā Iudæis præstita fuere. Illis enim sufficientia tantum, nobis vero etiam efficacia, ad conversionem media, ac remedia dederunt. Quantum id beneficij? Tantum certē, vt si omnia membra nostra verterentur in linguas, pro eo solo ad dandas Christo gratias sufficientes non essemus vnquam. Sed & illa quę de Beatissima Virgine matre Dei Maria disseruimus, ad amorem ipsius filij quę eius plurimum nos incitare debent. Ipsa enim sicut vita sua viuendi nobis normam tradidit: ita & peculiaris est omnium verē religiosarum personarum patrona ac mater. Illam igitur diligamus, eiusque orationibus nos incessanter commendemus charissimi, vt ignis charitatis, quo ipsa arsit ardetque, vt ignis charitatis, quo ipsa arsit ardetque, scintillam saltem aliquam nobis à filio suo impetrare dignetur. Deniq; ea quę postremo discussimus, quos non admovent nobis

erga illum, & propter illum, erga proximum nostrum amoris ac dilectionis stimulos? Ipse enim primæ beatitudinis nostræ partis, quæ in vocatione ad religionem consistit, ita author fuit, vt passiuè potius quam actiuè nos ad id concurrerimus. Qui expertus est, & gratus esse cupit, scit quid loquor. Ipse & alteram in nobis (non tamen sine nobis) beatitudinis operatus est partem, & operatur hucusque. Si enim teste Spiritu sancto, *sufficientes non sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*: quanto minus apti erimus ad tanta taliaque perficienda. Ipsi igitur omnia adscribamus, quia *sufficiencia nostra ex Deo est*, proindeq; amore in illū exardescamus. Caritas enim si adierit, & ij quos recensuimus, & infiniti alij tum labores, tum tribulationes non solum duræ & acerbæ nobis non erunt, sed etiam erunt suauissimæ, præstante suauitate nostra Christo Iesu Domino nostro, qui cum Patre in virtute Spiritus sancti viuunt & regnat Deus in æternam, Amen.

* *

☉)O(☉

DOMI